

finiti, sed consistunt, vel in speciali excitatione specierum, aut illustratione, vel etiam revelatione Divina, vel in habitu per accidens infuso, vel in fide infusa, iuncta speciali illustratione DEI, vel in extrinseca assistentia Divina omnipotentia; adeo, ut proinde septenario virtutum numero, trium scilicet Theologicarum, & quatuor Cardinalium cum annexis, nullus habitus per se infusus superaddendus videatur; cuius rationem assignat Doctor Subtilis in 5. dist. 34. qu. 1. dicens: illi habitus tantum ponendi sunt in viatore, quibus perficitur circa omnem objectum, quantum perfici potest in via; sed tales habitus sunt prædictæ septem virtutes: ergo. Probatur minor. Objectum circa quod perfici potest viator, est DEUS, vel creatura; sed circa DEUM sufficienter perficitur tribus virtutibus Theologicis; quia circa ipsum ut supernaturaliter cognoscendum perficitur per fidem: circa ipsum ut diligibilem in se perficitur per Charitatem: circa ipsum ut appetibilem, tamquam bonum viatori, perficitur per Spem: circa creaturam verò viator quantum ad intellectum sufficienter perficitur per Prudentiam: quantum verò ad voluntatem seu appetitum, circa appetibile alteri perficitur per Justitiam; circa appetibile sibi primò, & directè, seu circa bona perficitur per Temperantiam; circa mala verò ferenda, vel propulsanda quantum ad vim Irascibilem perficitur per Fortitudinem: ergo viator quantum ad operabilia (aliud est de Speculabilibus) sufficienter quoad DEUM, & Creaturam perficitur tribus virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus.

181 IV. Vitium est habitus electivus à Mediocritate declinans, sive est habitus inclinans in actus contra præscriptum rectæ rationis; cuius causa est ipsa voluntas humana mediatis actibus pravis. Quare è converso Vitiosus habitus malè vivendi comparatur, contrariis virtutum actionibus penitentes tollunt juxta Concilium Trident. sess. 14. c. 8. Vitium cum proportione dividi potest in tot genera, & species vitiorum, quot sunt genera, & species virtutum; imò in longè plura, cum enim eidem virtuti plura regulariter vitia adferuntur, hinc vitia sine comparatione sunt plura, quam virtutes. Itaque sicuti virtus in ratione virtutis est genus supremum, continens sub se virtutes Theologicas, & Cardinales, & hæc, videlicet Cardinales, continent sub se plures species, v. gr. prudentia plures prudentias specie distinctas, Justitia plures Justitias specie diversas &c. Alia est quidem specie justitia in bona fortunæ, alia in bona honoris, alia in bona famæ, vel pudicitia; vel corporis, vel vitæ, vel animæ &c. Sic etiam vitium est genus supremum sub se continens plura vitiorum genera, & species subalternas, ut in sequentibus magis patebit. Effectus vitii est peccatum, de quo satis fuse tractat P. Patritius Sporer tract. 1. Proæmiali cap. 4.

§. II. Prudentia, & Vitia Opposita.

182 I. Prudentia communiter definitur Recta ratio agendorum, seu clarior, quod sit virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus, quid honestum sit quid turpe, seu quid agendum ut honestum, & quid fugiendum ut inhonestum. Unde patet, prudentiam spectare ad intellectum, esseque virtutem intellectualem; quamvis quoque dici possit, & dicatur virtus moralis hac ratione; quia est proxima directrix actionum moralium voluntatis. Versatur autem prudentia non nudè circa conclusiones universales morum, sed circa actiones singulares in particulari, dictans, quomodo, & cum quibus circumstantiis sint hic, & nunc exercendæ. Quæ actiones eatenus spectatæ idcirco sunt prudentiæ tum objectum, tum effectus, tum finis; debetque in iis, & earum fuga considerari honestas, aut turpitudine moralis: ut proinde hac consideratione seclusa, solum improprie dicatur quis prudenter agere in iis, quæ tantum sunt Artis. Itaque

183 II. Cum prudentia versetur circa omnia agibilia in particulari, quæ quidem innumera sunt, & disparatissima, & quoad honestatem diversissimis motivis nituntur, dicendum cum Scoto in 3. dist. 36. Occam, Gabriele, Bassolio, Almaino, Lessio lib. 1. de Virtut. Card. cap. 2. dub. 1. num. 6. & plurimis Recentioribus contra Thomistas, & alios, prudentiam non esse unum simplicem habitum, sed specie multiplicem, adeoque quadam dumtaxat collectione unum instar totalis scientiæ, quemadmodum etiam ars non est una specie respectu omnium factibilium, sed multiplex. Porro officia, seu functiones prudentiæ numerantur à D. Thoma qu. 47. art. 8. Tres; benè consulere, benè judicare, benè præcipere executionem; quamvis Scotus quoad ultimum contradicat; quia præcipere non est proprie actus prudentiæ, utpotè virtutis intellectualis, sed potius est

actus voluntatis, ut potè potentia libera, & potentiarum Regiæ. Neque prudentia solum præscribit consultacionem de mediis, sed frequenter præscribit ipsos fines, ut rectè docet Doctor Subtilis in 3. dist. 36. Suarez, Vasquez, Arriaga, & alii passim, & patet experientia; quia non raro propositis variis finibus, intellectus deliberat, & consultat, quis illorum sit amplectendus; tunc autem rebus perpensis prudentiæ est dictare, quis finis sit amplectendus. Insuper ut prudentia sit Christiana, & merito-rii operis Regula, præscribere debet finem ultimum, ad quem exercitium virtutum moralium tamquam medium dirigatur.

III. Ad partes prudentiæ quod attinet D. Thomas q. 48. 184, potissimum octo enumerat partes integrales prudentiæ, videlicet Memoriam aliquando perceptorum, unde nascitur experientia Magistra prudentiæ: Intellectum, seu intelligentiam primorum scilicet Principiorum practiorum: Docilitatem, seu promptam facilitatem ad discendum ab aliis prudentibus, & expertis: Solertiam, quæ est prompta, & facilis conjectatio medi: Rationem, quæ est promptitudo ratiocinandi, & unum ex alio colligendi: Providentiam, quæ respicit futura hic, & nunc maxime à prudentibus consideranda: Circumspectionem, quæ respicit circumstantias præsentis undequaque occurrentes, & considerandas: Cautionem, qua quis invigilat, ne sub specie boni voluntas in eligendo decipiat. Partes prudentiæ Subjectivæ (quo nomine species, seu inferiora vocantur; uti nomine Partium Potentialium intelliguntur virtutes prudentiæ affines, ad quam proinde ratione cognationis magis reducuntur, eique annecti solent, quod pariter locum habet in Temperantia, Fortitudine, & Justitia) à D. Thoma quest. 48. artic. unico assignantur. I. Prudentia Personalis, quæ etiam Solitaria, & sui moderatrix dicitur, quæ dicitur, quo pacto quis prudenter se gerere debeat circa seipsum. II. Prudentia Oeconomica, quæ dicitur modum rectè gubernandi familiam. III. Prudentia Militaris, quæ præscribit normam rectè militandi. IV. Prudentia Regalis, quæ instruit suprema capita Regnorum, & provinciarum circa Regimen Publicum. V. Prudentia Politica, quæ docet subditos, qualiter rectè se ordinare debeant ad recipienda mandata suprema Principis, in ordine ad stabilendum commune regni, & republicæ bonum. Tres denique assignantur à D. Thoma quest. 51. Partes potentiales prudentiæ, Eubulia, Synesis, & Gnome. Eubulia est habitus facilitans ad rectè excogitanda media apta pro consecutione finis. Synesis est habitus disponens ad ferendum rectum iudicium de particularibus operabilibus consultatis Lege communi definitis. Gnome est habitus disponens ad probè determinandum aliqua, quæ practicanda occurrunt contra tenorem Legis positæ, quod sit per Epikiam.

IV. Vitium prudentiæ actuali oppositum est Imprudentia actualis consistens in iudicio non recto de opere hic, & nunc exercendo; prudentiæ verò habituali opponitur imprudentia habitualis inclinans ad huiusmodi iudicium. Specialiter autem inter vitia per defectum opposita prudentiæ recentiori solent ex D. Thoma quest. 53. & 54. præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, & negligentia; utpotè opposita ipsi prudentiæ Reguli, quarum Prima est, ut opus non aggrediaris cum impetu, & accelerata determinatione; non prævia deliberatione, seu consultatione congrua, cui opponitur præcipitatio, seu temeritas. Secunda, ut excluso accelerato impetu non feras iudicium neglecta atenta consideratione qualitatium, & circumstantiarum operis; cui opponitur inconsideratio. Tertia, ut post maturam deliberationem, & consideratum iudicium, non facile ab eo divellaris, & ad sententias mutandas omni vento facile movearis; cui opponitur inconstantia. Quarta, ut quod deliberatum, ac resolutum est, opportunè exequaris, cui opponitur Negligentia consistens in defectu sollicitudinis, & tarditate præcipiendi quod consultatum, & iudicatum est fieri. Præter hæc enumerant Doctores cum D. Thoma quest. 55. Nonnulla vitia habentia quadam fucata specie, seu similitudinem prudentiæ, tamquam eidem opposita per excessum, scilicet. I. Prudentiam Carnis, qua quis sua facta dirigit secundum instinctus naturæ corruptæ, excogitæque idonea media ad opera mala, seu carnis complenda: & quidem, si opera, quæ dirigit, sint mortalia, est mortalis, de qua Apostolus ad Rom. 8. prudentia carnis, mors est, & iterum: Sapientia carnis inimica est DEO. Si venialia, est ipsa venialis. II. Astutiam, quæ est notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum cum affectu exequendi conjuncta. Sic sumitur ab Apostolo 2. Cor. 4. Non ambulantes in Astutia. III. Dolum, qui est Astutiæ executio, tum per verba, tum per facta. IV. Fraudem, quæ est executio Astu-

Astutiæ per facta, adeoque est quid minus commune ad dolum. V. Nimiã sollicitudinem temporalium, & futurorum, quæ reprobat Math. 6. Luc. 12. & 1. Timoth. 6. etique ipsa radix malorum. Involvit autem nimiam temporalium cupiditatem, anxiam curam illa conservandi, aut consequendi inde oriundam, & similiter nimiam circa illa mentis occupationem. Quare radicaliter, & præcipue, quatenus est vitiosa, in voluntate consistit. Unde est summè cavenda, etsi tantum sit venialis, nisi dum quis idcirco violat, aut violare paratus est præceptum graviter obligans. Vide P. Herincx tract. 2. de virtutibus Cardinalibus dist. 1. qu. 1. num. 22. Sannig tract. de virtutibus Cardinalibus dist. 2. qu. 1. n. 15. & alios.

§. III. Temperantia, & vitia opposita.

186 I. Temperantia est virtus moralis moderans appetitum circa concupiscibilia, scilicet honores, & voluptates, maxime gustus, & tactus. Ita Scorus in 3. d. 34. ubi ait: prima concupiscibilia videntur esse duo, scilicet honor, & voluptas; quia utile non potest esse primò motivum ad concupiscendum, cum non concupiscatur, nisi in ordine ad aliud. Igitur primæ species temperantiæ; quæ moderatur appetitum circa concupiscibilia, erunt duæ: quia quæ moderatur circa honores, dicitur Humilitas: quæ circa voluptates, retinet nomen generis, & quot possunt esse voluptates distinctæ, circa quas appetitum moderatur, tot sunt specie illius temperantiæ, quæ moderatur voluptates; puta, Altera circa gustabilia; Altera circa tangibilia; nec solum moderatur voluptates sensitivas, sed etiam spirituales. Ita Doctor Subtilis. Vitia temperantiæ opposita duo sunt, videlicet Stupor, & Intemperantia. Stupor seu insensibilitas opponitur ei per defectum, estque vitium, quo quis fugit honores, & voluptates, ut nolit eis uti, quando, vel ubi, vel quantum secundum rectam rationem oportet; quod vitium est satis rarum, ut experientia docet. Est peccatum mortale, aut veniale pro qualitate obligationis rei concupiscibilis repudiatæ. Intemperantia opponitur temperantiæ per excessum, estque vitium, quo quis in appetendis, & fruendis honoribus, & voluptatibus excedit dictamen rectæ rationis.

II. Partes temperantiæ subjectivæ, ut mox dictum, sunt Humilitas, Castitas, Pudicitia, Abstinencia in cibo, Sobrietas in potu. Humilitas juxta S. Bernardum lib. degrad. Humilitatis in princip. est virtus, qua quis verissima sui agnitione sibi vilescit; sive est virtus inclinans ad profitendam signis, & factis suam vilescit, moderansque appetitum circa honores ambiendos; humiles namque sentiunt, se nihil esse, vel posse à seipsis, omne bonum esse à DEO, ac idcirco in eum omnia esse referenda, ipsique omnem laudem deberi, nobis autem solum contempnum. Humilitati per defectum opponitur nimia sui abjectio, quæ licet non possit esse nimia respectu DEI; benè tamen respectu proximi, quando nimium vergit in injuriam sui status, Prælatorum &c. dum enim nimium servatur humilitas, regentis frangitur Auctoritas. Per excessum opponitur superbia, de qua vide P. Sporer tract. 1. proæg. cap. 7. sect. 4. num. 65. castitas est virtus, quæ moderatur affectum, & usum venereorum; diciturque pudicitia, prout moderatur appetitum circa oscula, tactus, & similia prævia ad actum principalem; vocatur etiam continentia, quatenus continet hominem à rebus venereis. De castitate, & vitiiis oppositis vide P. Sporer tract. 5. in præcept. Decalogi, cap. 3. in Appendice ad 6. & 9. præceptum. Item tract. 1. proæg. cap. 7. sect. 4. num. 66. Abstinencia in cibo est, quæ moderatur cupiditates, & delectationes esculentorum. Moderatio verò debita tunc servatur, quando esculenta sumuntur, prout valetudini, & præcipue officiis mentis congruit: sobrietas in potu est, quæ moderatur cupiditates, & delectationes poculentorum, seu potus inebriare valentis; in qua quidem materia laudabile est servare mensuram: quia habet specialem difficultatem ob passionem in hac materia vehementiorem. Quare excessus in potu non valente inebriare verb. grat. Aqua Saccharata opponitur abstinentiæ, non sobrietati, juxta DD. apud Herincx citat. disp. 2. qu. 4. num. 42. eo quod huiusmodi potus afficiat appetitum, sicut esculenta strictè dicta. Abstinentiæ vitium oppositum est Gula; sobrietati opponitur Ebrietas, de quibus vide P. Sporer tract. 1. proæmiali; cap. 7. n. 68. & 69. Huc etiam reducitur paupertas voluntaria, quæ moderatur appetitum bonorum temporalium fortunæ; cum enim bona temporalia fortunæ sint utilia, vel ad honores, vel ad delectationes assequendas; hinc quia temperantia per humilitatem moderatur appetitum bonorum, & per castitatem appetitum delectationum &c. ita per voluntariam paupertatem moderatur appetitum bonorum temporalium fortunæ, utilium ad utrumque.

III. Partes temperantiæ integrales sunt veracundia, & honestas: veracundia quandoque capitur pro passione, quandoque pro actu. Accepta pro passione importat dolorem, vel timorem confluentem ex consideratione alicujus facti inferentis dedecus, qualia potissimum sunt peccata intemperantiæ. Accepta pro actu importat fugam actualem, & evitacionem probri ex consideratione turpitudinis in eo re-lucentis. Honestas est perfectio quædam moralis, avertens operantem ab inhonestis voluptatibus in escis, potibus, & Veneri inservientibus, & inclinans ad decorem in abstinencia earum resplendentem.

IV. Partes temperantiæ potentiales sunt Mansuetudo, Clementia, & Modestia. Mansuetudo est virtus, quæ moderatur iram juxta rationis præscriptum. Unde facit, ut homo oblatis occasionibus irritantibus non irascatur, aut ut iram comprimat, ne prorumpat altrà, quam deceat. Facit etiam, ut ira excutitur, dum ratio exigit, ut audacia proximorum coerceatur, delicta corrigantur, ne accretant: mansuetudini per defectum opponitur nimia ira vacuitas, quæ eatenus solum est peccatum, quatenus defectu iræ non opponimus nos malo, quando, & quantum oportet. Per excessum opponitur Ira, de qua P. Sporer tr. 1. proæmiali cap. 7. sect. 4. nu. 70. Clementia exteriorem vindictam, & punitionem mitigat, quantum ratio Justitiæ patitur, adeoque moderatur affectum ostentandæ potestatis in punitione delinquentium. Defectus Clementiæ oppositus est nimia Lenitas, qua ex nimia facilitate animi, & compassione remittitur: aut minuitur pœna contra præscriptum rationis. Excessus eidem contrarius est Crudelitas, sive Austeritas animi ad infligendas pœnas supra meritum, estque peccatum grave, vel leve, prout malum fuerit grave, vel leve, quod per crudelitatem inferitur, vel ex nimia lenitate sequitur. Crudelitati affinis est Feritas, seu Savitia, inferens mala, aut tormenta proximo citra omnem culpam, solius voluptatis gratia, adeoque non per modum pœnarum, uti crudelitas, quæ ipsa tamen etiam solet interdum savitia appellari. Ita Herincx citat. disp. 2. num. 101. Modestia est virtus, qua quis se continet intra limites sui status, ingenii, & fortunæ. Cujus tres sunt species, nimirum Studiositas, Modestia morum, et Modestia cultus, seu apparatus externi.

Studiositas est virtus quæ moderatur desiderium scientiæ, affinis est temperantiæ, quatenus refrænat appetitum, ne nimium feratur in delectationem studiorum; etiam est affinis Fortitudini, quatenus excitat animum ad ferendos studiorum labores, ne contra rectam rationem studia refugiat, vel inquisitionem notitiæ necessariæ, aut valdè utilis. Studiositati per excessum opponitur Curiositas, quæ per se tantum est venialis; per accidens tamen verb. grat. ratione prohibitionis, periculi, vel mali finis &c. potest esse mortalis. Per defectum opponitur Studiositati Negligentia, quæ etiam per se non est mortalis, sed tantum, quando ex præcepto, vel aliunde tenetur aliquis quædam discere, & scire, verb. gr. Medicus, Confessarius, Parochus, Advocatus, Religiosus, Episcopus &c. negligat ea discere, quæ suum cuiusque Officium attingunt, Addit Lessius l. 4. c. 4. dub. 11. num. 85. Si Studiosus negligat sua Studia: supple, ad quæ aliunde tenetur. Prout juxta Bannez qu. 33. art. 3. dub. 3. & alios, possunt Religiosi graviter peccare, qui negligunt studia necessaria ad scientiam requisitam pro administratione muniorum, ad quæ destinantur, seu quæ eis imponuntur. Modestia morum est virtus moderans motus, & gestus corporis; non consistit in indivisibili, nec est eadem respectu omnium personarum, aut occasionem: aliam enim tenentur observare Religiosi, abam sæculares, aliam senes, aliam Juvenes, aliam pueri: aliam item, quando nulla urgente speciali necessitate homo incedit per plateas, aliam, si necessitas aliqua petat hominem vehementer accelerare gradum; aliam, quando ferio inceditur, aliam, quando luditur, quæ ultima vocari solet Eurapelia. Vitia opposita non sunt per se gravia: prout sunt hinc Morum Ruditas; illinc Nimiã Gravititas, mores Aulici respectu Religiosi, mores ficti, seu nimis compositi, qui hypocritis sapiunt &c. Modestia cultus moderatur externum apparatus in vestibus, suppellectilibus, conviviis, &c. Circa excessum ornatus mulierum per pigmenta, novas vestium formas, Comam appositivam, per ornamenta aurea, & gemmea, præsertim si iis utantur supra statum, & consuetudinem receptam, docet D. Thomas, & alii Doctores communiter apud Herincx citat. disp. 2. qu. 6. nu. 2. per se esse solum peccatum veniale. Ratio est: quia excessus in rebus indifferentibus (cujusmodi est cultus corporis) seclusa malicia extrinseca, solum est venialis, ut patet in usu divitiarum, honorum, &c. Neque verum est, quod per fucos adulteretur, vel emendetur opus Dei, sed per artem suppletur defectus naturæ, vel

vel iuvatur opus naturæ, quatenus naturæ est. Dicitur est: per se solum esse peccatum veniale: nam per accidens ratione lasciviz, scandali, pravi finis, contemptus proximi, impotentiz solvendi debita, &c. posse esse peccatum mortale, nemo dubitat. Et quidem, qualiter ratione scandali peccent mulieres in ornatu corporis, vide P. Patritium Sporer tr. 5. in 5. Præceptum Decal. cap. 1. sect. 2. num. 39.

§. IV. Fortitudo, & Vitia opposita.

191 I. Fortitudo dupliciter accipi potest, primò quidem pro omni animi firmitate, quæ in cujuslibet virtutis actione reperitur, & hoc modo non est virtus à cæteris distincta, sed potius conditio ad omnem virtutem requisita. Secundò accipitur fortitudo prout significat specialem quandam animi firmitatem in subeundis periculis, laboribusque perferendis, quo modo est virtus specialis, & definitur, quòd sit virtus servans mediocritatem inter metum, & audaciam, circa ferenda, & propulsanda mala, præsertim gravia, ob honestatem, quæ in eis ferendis, & propulsandis elucet. Ita communis apud Mairium in 3. disp. 7. qu. 9. art. 1. Herincx cit. disp. 3. q. 1. Sannig, & alios. Fortitudo namque respicit mala, quæ adveniunt, vel ea ferendo, vel ea propulsando, cum secundum rectam rationem decens est illa ferre, vel propulsare, & hoc quidem ob honestatem, quæ in iis ferendis, aut propulsandis elucet ex natura sua, & non quatenus perpensio, aut propulsatio eorum est medium ad aliquod aliud bonum. Unde qui vellet ferre mala huiusmodi ob amorem Dei, vel pietatem erga patriam, aut obedientiam præcisè, ille non exerceret actum formalem fortitudinis, sed tantum materiale. Extendit autem se fortitudo ad ea perferenda mala, vel propulsanda, quæ excludunt bona, quibus rectè quis uti posset, v. gr. quia quis potest rectè uti Divitiis, Honoribus, Dignitatibus, Vita, Sanitate, & corporis integritate, item libertate: propterea ad fortitudinem spectat, ferre æquanimiter, cum his bonis privatur, quibus alioqui posset rectè uti. At quia non potest quis rectè uti illa voluptate, quam caperet v. g. ex fornicatione, ad fortitudinem non spectat, molestiam ex carentia illius voluptatis ortam tolerare, sed ad castitatem, cuius est impedire, ne quis fornicationem committat. Porro inter actus fortitudinis elucet Martyrium, seu Baptismus sanguinis (de quo in Supplemento Sacramentali c. 1. de Baptismo egimus) quia majus robur requiritur, ut quis ultro se ingerat morti certæ sine ulla resistantia, aut vindicta, quam ut se exponat periculo mortis cum aliqua spe evasionis, aut conatu iustæ vindictæ. Martyrium tamen, etsi ex genere, seu subiecto actus fortitudinis, solet ex aliis motivis subiri præsertim Charitatis. Ipsum etiam censetur simul externa confessio, seu testimonium fidei, quatenus solet acceptari ad testandum fidei veritatem in se, vel in opere virtutis relucentem.

192 II. Vitia Fortitudinis opposita per defectum sunt Timiditas, & Ignavia. Timiditas est vitium, quo exceditur in timendo, videlicet tempore, modo, vel quantitate; qua non oportet. Ignavia est vitium, quo deficitur in audendo, videlicet non aggrediendo pericula, quando, vel quomodo ratio dicitur. Hæc vitia per se sunt tantum venialia sicut excessus aliarum passionum, quæ non inferunt aliud detrimentum, quam quòd mentem perturbent inutilibus curis, & cogitationibus. Vitia per excessum opposita fortitudini sunt Intimiditas, seu vacuitas iusti timoris, & Temeritas. Intimiditas est vitium, quo deficitur in timendo quia videlicet modo, & tempore non timetur id, quod timeri oportet. Temeritas est vitium, quo exceditur in audendo, vel aggrediendo pericula mortis, quando, vel quomodo non expedit, v. gr. nimis citò, vel ob minus bonum. Hæc vitia sunt solum peccaminosa, quatenus continent tacitum consensum periculi, & sunt causa illius: adeoque prout periculum, quod incurritur, est magnum, vel parvum, & graviter, vel leviter vitandum, erunt mortalia, vel venialia. Quando autem sunt grave peccatum, concurrunt obligatio alterius virtutis, puta Charitatis propriæ, vi cuius tenemur conservare vitam.

193 III. Cum fortitudinis duo sint actus præcipui, unus, æquanimiter, & cum decencia in motibus externis, & gestibus corporis sustinere mala, cum honestum est id facere: alter ea propulsare, cum id conveniens videtur ex recta ratione, hinc fortitudo in duas secatur partes subjectivas, videlicet, patientia, & magnanimitas. Patientia est virtus, quæ moderatur timorem, & mortorem in sustinendis malis, ne homo propterea à præscripto rectæ rationis recedat, sive in mentis æquanimitate servanda, sive in motibus externis corporis rectæ rationi conformibus. Vitium patientiæ oppositum per excessum est impatentia, qua quis iustum dolen-

di modum, quem patientia præscribit, excedit. Per defectum eidem opponitur insensibilitas, qua quis nec suis, nec proximorum malis tangitur: hoc enim est, inhumanæ duritiæ signum, nec congruit amicitiz, aut vitæ sociali. Hæc peccata per se, & secluso malo, quod ex impatientia provenit, sunt tantum venialia. Magnanimitas est virtus, qua inclinamur ad omne arduum aggrediendum ex motivo propriæ honestatis, cuius actiones sunt excellenter virtuosæ, & valde laudabiles, ut contemptus honorum, & dignitatum propter Christum. Huic opponitur per excessum præsumptio, qua homo ex nimia virium confidentia aggreditur, quod est supra vires, & ambitio, quæ consistit in nimia honoris appetentia, ac Vana Gloria, quæ consistit in nimia appetentia gloriæ, seu opinionis, & famæ: Hæc, nisi sit de re graviter illicita, non est per se mortalis. Idemque est de iactantia. Ambitio similiter non est mortalis, nisi pravis mediis, aut cum injuria tertii quis aspiret an honores, vel dignitates, aut sit ad eas inidoneus. Magnanimitati per defectum opponitur pusillanimitas, quæ consistit in quadam fuga magnorum operum, ex eo quod quis nimis facile existimet se esse imparē talibus operibus.

IV. Partes potentiales fortitudinis, seu ei affines sunt 194 magnificencia, longanimitas, & perseverantia, seu constantia quibus aliqui jungunt fiduciam, sine qua bonum arduum aggredi, nec malum contingens vir fortis superare poterit: & securitatem, quæ pars fiduciz est, & animum in virtute exclusis inutilibus curis, tranquillum reddit. Magnificencia est virtus, qua quis magnis sumptibus in materia externa aliquid magni efficit. Involvit, vel supponit hæc virtus insignem moderationem affectus erga pecunias, illa enim solet viros potentes (quorum hæc virtus est propria) à magnificis operibus, ac expensis, quas ratio dicitur, impedire. Magnificentiæ per excessum opponitur vitium, quo quis ex industria auget sumptus supra quam recta ratio dicitur: ut faciebat ille mercator, qui in hyeme ignem nutribat cinnamomo. Per defectum opponitur parvificencia, qua quis ex angustia animi parvos sumptus magno operi impendit, v. gr. magno Palatio rectum stramineum imponit. Longanimitas est virtus, quæ æquanimiter perferunt molestia, quæ ex rei desiderata (quæ est amotio præsentis mali, vel consecutio sperati boni) dilacione percipiunt. Huic opponuntur eadem vitia, quæ patientiam frangunt. Perseverantia, seu constantia est virtus inclinans hominem ad continuationem bonorum operum usque in finem. Per hanc superamus tædium, & molestiam, quæ in exercitio virtutum occurrere solet, idque ob specialem, & propriam honestatem: quia hominem fortem decet, opus bonum inceptum continuare, non quidem ita, quasi opus nunquam deberet intermitteri, sed ita, ut vel opus non intermitteretur vel suis temporibus juxta rei exigentiam assumatur. Constantiæ per excessum opponitur perinacia, qua aliquis continuare vult, quod non debet. Per defectum vero ei opponitur Mollities animi, & Inconstantia, qua aliquis facilliter, & sine rationabili causa à bono incepto descedit.

Discussis tribus virtutibus Cardinalibus, Prudentia, Temperantia, & Fortitudine restat quarta in ordine examinanda, videlicet Iustitia: quam quia P. Sporer tr. 4. Prelim. ad Præcepta secundæ Tabule cap. 1. Satis pertractavit, eo Lectorem remittimus. Pro coronide hujus Supplementi solum subnectimus.

COROLLARIUM.

De reliquis virtutibus Iustitiæ annexis.

SUMMARIUM.

- 196 Quid sit Pietas? 197. Ejus obiectum.
198 Quid sit observantia? 199. Impietas, & inobservantia.
200 Quid observantia? 201. Et quotuplex?
202 An obedientia formalis sit sub præcepto?
203 Quid sit inobediencia? & quotuplex?
204 Gratitude quid? 205. & ingratitude?
206 Quid sit veritas? 207. quid mendacium, & quotuplex?
208 Quid sit affabilitas, & vitia ei opposita?
209 Quid sit liberalitas? 210. quid Avaritia?
211 Quid Prodigalitas?
212 Quid relique virtutes Iustitiæ affines.
213 Quid requiratur, ut actus virtutum moralium fiant Christiani, supranaturales, & meritorii?

§. I. De Pietate, & Observantia.

196 I. Pietas sumpta pro virtute speciali, Iustitiæ affini, definitur, quòd sit virtus, qua debitus honor, & obsequium deferuntur iis, qui post DEUM sunt præcipui nostri ortus Auctores. Quales sunt I. Parentes. II. patria. III. consanguinei, quatenus in ipsis est aliquid parentum. Hinc patet, pietatem esse virtutem specialem ab aliis distinctam, quia habet speciale obiectum, in quod sub ratione aliqua particulari tendit. Communis DD.

II. Porro obiectum pietatis est cultus, & obsequium Parentibus, & Patriæ debitum ratione nostræ principiationis, & conservationis; ita quidem, ut cultus sit obiectum quod, ratio vero formalis, sub qua à pietate respicitur, est ratio debiti orti ex principiatione, quòd debitum adeo magnum est, ut juxta philosophum à nobis exhauriri non possit per redditionem æquivalentis, intellige, in eodem rerum ordine, alioquin potest filius parentibus non solum æquale, sed etiam majus beneficium exhibere, ut si eos ab infidelitate convertat, & spiritualiter in Christo regeneret. Per hoc tamen non extinguitur in filio obligatio Pietatis, sed hæc semper manet etiam post mortem parentum, quos defunctos si filius in honore, vel fama lædat, contra pietatem peccat. Obiectum cui principale hujus virtutis sunt parentes, deinde patria, quæ parentes fovet, & necessaria, ac opportuna ad ortum, & educationem filiorum suppeditat. Tertiò consanguinei, in quantum aliquid de parentibus communicant. Ita Herincx parte 3. tract. 5. disp. 10. quæst. 1. num. 5.

III. Observantia definitur esse virtus, qua debitus cultus exhibetur Superioribus, & Aliis, qui nos gubernant actu, vel potentia. Unde sicut pietas deserit cultum parentibus tamquam ortus, & educationis nostræ præcipuis post DEUM principiis, ita quoque observantia deserit cultum Superioribus tamquam principiis Gubernationis, & Directionis. Ex quo etiam liquet discrimen inter pietatem, & observantiam, Patet quoque obiectum observantiæ esse cultum propter gubernationem nostram deferendum iis, qui nos actu gubernant, & dirigunt, vel saltem adeo sunt excellentes, ut de se sint capaces regiminis nostri. Ratio vero formalis est ratio debiti orti ex Gubernatione actuali, vel possibili jam dicta. Obiectum denique sui sunt Superiores, & aliæ Personæ in dignitate constitutz, idoneæ ad nos gubernandum. Ex quo ulterius constat, obligationem pietatis esse majorem, quam observantiæ, majus enim est principium ortus, quam gubernationem. Herincx cit. n. 10.

IV. Vitium pietati oppositum est Impietas, qua debitus honor, & obsequium non præstatur iis, qui post DEUM sunt præcipui ortus nostri auctores. Similiter vitium observantiæ oppositum est inobservantia, qua debitus cultus non deferitur Superioribus, & aliis, qui nos gubernant actu, vel potentia. Hinc, qui verbo, gestu, aliove signo gravem parentibus irreverentiam inferit, mortaliter peccat; ut passim indicat S. Scriptura, Exodi 21. verb. 20. Deuteronom. 27. & alibi; & quidem injuriam, quæ aliis hominibus illata foret mediocriter, notat Marchant. tom. 2. tract. 5. tit. 1. quæst. 2. dub. 1. esse gravem, si parentibus inferatur. Idem est dicendum de talibus prolium actionibus, quæ sunt graviter exacerbativæ, contritivæ, & afflictivæ parentum, ut indicatur proverb. 19. & alibi. Similiter, qui gravi odio, malevolentia, indignatione, contemptu in parentes suos fertur, mortaliter peccat, estque hæc circumstantia necessariò in confessione explicanda, ut observat post alios Bassæus V. filius, num. 2. Herincx cit. nu. 4. eo quòd illi actus habeant specialem malitiam oppositam pietati parentibus debita. Idem proportionaliter dicendum de subditis Superiores offendentibus, & peccantibus contra virtutem observantiæ.

§. II. De Obedientia, & Inobediencia.

100 I. Obedientia sic dicta, quasi ob audientia, quia per eam præceptum Superioris quasi auditur, & admittitur. Duplex est materialis scilicet, & formalis. Materialis est, per quam exequimur quemlibet actum præceptum, etsi non fiat expressè ea intentione, ut præceptum impleamus. Hæc obedientia non est virtus specialis, sed ad omnes virtutum actus, qui sunt sub præcepto, se extendit. Obedientia formalis est, qua præstatur opus præceptum sub hac ratione, quia præceptum est, & hæc est virtus specialis: quia etiam si ad omnes virtutum actus se extendat, tamen eos sub formali quadam ratione considerat, sub qua ab aliis virtutibus non attinguntur, videlicet, quatenus

debiti sunt ratione præcepti. Obiectum materiale quod obedientiæ est omne opus præceptum; obiectum formale quod est debitum ratione præcepti, seu honestas specialis in actu resultans ex eo, quòd sit à Superiore præceptum, obiectum denique cui est Superior.

II. Obedientiæ variæ sunt species pro varietate Potestatum imperandi; sicut enim alia est potestas præceptiva Divina, alia humana, & hæc rursus alia est Ecclesiastica, alia politica, cui annectitur Oeconomica, seu domestica, ita quoque obedientia alia est Divina, alia humana, alia Ecclesiastica, alia politica, seu civilis, quæ membra ulterius subdividi possunt. Hæc porro obedientiæ species non nisi accidentaliter inter se differunt, ut post D. Thomam qu. 104. art. 2. ad 4. docet Lessus cap. 46. num. 27. Sylvius, Herincx, & Alii. Ratio est: quia licet potestas respectiva sit diversæ rationis, obedientia tamen secundum se considerata tantum respicit opus, ut debitum ex præcepto, lato ab eo, qui legitimam habet potestatem præcipiendi, qualicumque ille potestas sit sive Divina, sive Humana; Hæc enim potestatum distinctio per accidens, & materialiter se habet ad obedientiam formalem. Unde rectè ait S. Bernardus tract. de præcepto, & dispensatione, capit. 12. sive DEUS, sive homo Vicarius DEI mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum ubi tamen DEO contraria non præcipit homo. Accedit, quòd potestas Superior v. gr. Divina implicitè includatur in humana, & ea ratione utraque eadem specie obligationem suo præcepto inducat.

III. Petes; An obedientia formalis sit sub præcepto, hoc est, an subditus teneatur opus præceptum sub hac ratione, quia præceptum est, implere? Resp. Negative. Ratio est: quia nullum extat huiusmodi præceptum, quo DEUS, vel Ecclesia mandat, opus impleri ea intentione, ut præcepto satisfiat: sed ad cujuscumque præcepti impletionem sufficit, ut opus præceptum faciamus propter intrinsecam eius bonitatem, aut ut DEO placeamus. Ita communis cum Herincx cit. q. 2. nu. 18. Vide quæ habet P. Sporer tract. 1. prog. cap. 3. sect. 4. nu. 47.

IV. Obedientiæ opponitur Inobediencia, quæ scuti obedientiæ, alia est materialis, alia formalis. Illa est cujusvis præcepti transgressio, unde est circumstantia generalis cum quovis peccato concurrentis, estque gravis, vel levis, prout præceptum violatum graviter, vel leviter obligat. Inobediencia formalis est violatio præcepti, ut præcepti, ut quando illud violatur ex intentione expressa, ipsium violandi, & suo facto ei adversandi. Continet autem hæc inobediencia duplex peccatum, unum consistens in pravariatione præcepti obligantis ad faciendum, vel omittendum opus, alterum consistens in transgressione præcepti verantis contemni mandatum Superioris. Inobediencia formalis ex genere suo est peccatum mortale; graviter enim adversatur rectæ rationi, nolle præcepto obedire, ex intentione expressa illud violandi, & consequenter illud contemere, juxta illud 1. Regum 15. quasi peccatum aviolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Potest tamen esse veniale ex imperfectione actus non satis deliberati. An similiter ex parvitate materiæ, non ita constat: & quidem si procedat ex perfecto, & absoluto contemptu præcepti, vel Superioris qua talis, omninò dicendum est, levitatem materiæ nunquam à mortali excusare, sive Legi lator sit DEUS, sive homo: quia hoc semper adversatur graviter rectæ rationi, & inferatur gravis irreverentia DEO, à quo est omnis potestas. Si verò non procedat ex absoluto contemptu, veluti si quispiam non obediatur Superiori, ut contraveniat eius præcepto in minimo, paratus tamen absolute obedire ipsi in majoribus, docet Sylvius apud Herincx cit. disp. 10. quæst. 2. nu. 22. talem inobediencia esse solum venialem, eo quòd non involvat contemptum nisi imperfectum.

§. III. De Gratitude, & Veritate.

101 I. Gratitude est virtus, quæ respicit debitum ex beneficio nato; unde inclinat ad Beneficium beneficium compensandum, extenditque se ad omnes, à quibus aliquid beneficium accepimus, ut ad DEUM, Parentes, Superiores, & homines privatos. Est autem virtus hæc specialis ab aliis distincta; nam ex eo, quòd Beneficium beneficium compensetur, specialis resultat honestas, gratitudini, & non alteri virtuti propria; quod quidem satis patet in gratitudine erga aliquem particularem benefactorem, qui privatim aliquid beneficium nobis contulit. Si verò attenditur debitum ortum ex beneficiis collatis à DEO, & Parentibus, censet D. Thomas quæst. 106. art. 1. & alii apud Herincx cit. quæst. 3. nu. 24. gratitudinem non distin-